

Dalechampia semina toties a me expetita, sed frustra, vix amplius exstant in Europa, nisi forte apud unicum Bassum *Boloniae*. Posses forte ab eo ea Tibi comparare, et unum alterumve ad me mittere.

Nuper iterum accepi numerosas et rarissimas plantas e Cap. b. *Spei*, e *Maderaspatana* et *Malabaria*.

Si apud Te essem, multae rarissimae plantae cum voluptate depingeres et ederes.

Lycopodii nudi tenellum specimen includo, sed absque fructificatione, nec possideo plus quam unum specimen fructificans.

Sit Tibi faustus ingressurus annus.

Upsaliae 1769, d. 20. Decembris.

49.

Viro amplissimo DD. *Jacquino* s. pl. d. *Car. v. Linné*.

Quanta laetitia perfusus accepi Tuas d. 11. Aprilis efari nequeo, cum in iis desideratissimae *Loasae* semina dabas, quae prae reliquis omnibus deliciis mundanis expetebam, verbis nequeo exprimere meam gratitudinem devotissimam pro aureo hoc dono. videbantur semina foecunda et fertilia.

Iris sambucina perfecte refert nostram plantam, ut vix de ea dubitare possum.

Dolichos unguiculatus est meus, de *Rumphiana* figura dubito, cum pingat legumen curvum.

Jatropha urens est, licet folia in Tua minus profunde divisa, quod in nostris junioribus obtinet, sed caulis Tuae valde aculeatus, quod vix in nostrate.

Digitalis omnino est, nec *Chelone*, facies omnino refert *Digitalem ferrugineam*, sed diversa species esse debet, cum ferrugineae flores longe majores, stamina semper 4, corolla semper quinquefida, lobis 2 superioribus fere obso-